DEO OPTIMO MAXIMO

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-nonâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXIX.

Mº. BERTRANDO DUPUY,
Doctore Medico, Præside.

DE FONTICULORUM USU.

1. NATURÆ *morborum Medicatrices.* Hoc est præcipuum Hippocratis oraculum, cujusve sensus latissimè patet. Nec solùm etenim à Naturâ vinci morbos absque remediorum auxilio aut etiam invitis remediis dici potest: sed quidquid ista valent, à Naturâ proficiscitur. Quin etiam ipsa tùm in internis, tùm in externis morbis, quæ sibi magis conveniunt quasi indigitasse deprehenpitur. Nec huic sententiæ propugnandæ exempla desunt: imò potiùs confertim prodeunt, & numero sibimetipsis viam faciunt minùs expeditam.

2. Fonticulos hujus esse census multiplex docuit experientia; quippe non raros viderunt casus clynici, in quibus Natura humori infando exitum molita est, adeò ut per hancce viam eliminarentur morborum reliquiæ.

3. Officium est Medici tùm vires Naturæ nimis urgenteis cohibere, tùm etiam, si langueant, excitare. Quò se conferre debeat, eum docebit morborum discrepantia. Præcipua morborum divisio in acutos & chronicos. Quænam verò, in hisce ultimis per longum tempus excurrentibus, virium Naturæ solutarum causa assignanda sit eruere, res est non levis momenti.

4. Quò minor erit tonus organi cujuscumque quod materiei morbum efficientis sedes esse reperitur, eò morbus ipse erit diuturnior, incassumque vires Naturæ agere necesse erit. Sedes morborum duplex, vasa scilicet & cellularis textus. In acutis vasa præsertim materiem morbi continent & exagitant: Inde horum actioni totum corpus obversatur. In chronicis verò, saltem incipientibus, qui ut plurimùm particulares reperiuntur, fit quidam infarctus telæ cellularis viscera malè affecta ambientis; in hâc deponitur materia morbifica nocens, quâ præsente sufflaminatur illius telæ actio per se jam debilis. Textus nempè cellularis quodam tono gaudet, cujus verò effectus insensibiles prorsùs evaderent, nisi accederet tùm per vasa, tùm per musculos continua ac perpetua succussio.

5. Sed cùm materies illa textum cellularem infarciens partium majori fenfibilitate præditarum actionem interturbet aut etiam aliquoties extinguat : quid agendum Medico fupereffe exiftimabimus, nifi illam expellere conetur, five ftimulum addendo partibus folidis ac vividis, cujus ope fe ipfas exonerent, five, ut ita dicam, per vias Telæ cellularis undequaque apertas ac invicem communicantes illius humoris fuctionem fecerit.

6. Varia quibus conftat corpus humanum vifcera quafi in maffâ Textûs cellularis collocantur, adeò ut ab illo in totâ fuâ fubftantiâ penetrentur, aut etiam pro parte ex illo componantur. Illud medium, ut ita dicam, cellulare undequaque pervium eft, cellulifque conftat invicem communicantibus. Quod quidem infinitis probatur experimentis : infufflatione videlicet, aut potiùs emphyfemate, quorumdam corporum hùc forte illapforum miris aberrationibus, puris, aquæ, humorifve cujuflibet morbifici metaftafibus.

7. Sunt re-verâ Textûs cellularis à Naturâ inftitutæ feparationes, quarum ope in partem dextram & in finiftram divifum fuiffe corpus apparet, atque etiam diftinguuntur fuperiora loca corporis ab inferioribus. Præterea unumquodque vifcus certam ac propriam quafi nactum eft provinciam, quæ ejus fortunas fequitur, hujusque vitæ ac motuum particeps efficitur. Sed non inde concludendum ducimus, quòd intercludatur via ab unâ parte corporis in partem oppofitam : fiquidem mille doceant exempla quàm magnâ celeritate varia morborum materies in locum magis diffitum feratur, quique huic migrationi minimè aptus fieri poffe videbatur.

8. Non minimam Chronicorum morborum partem in Textu cellulari fedem fuam habere quam plurimis demonftratur. Quin-imò & his ferè omnibus eamdem contingere, evincere haud difficillimum foret. Apud omnes tenim conftat Phyfiogos, quod ope vaforum per totum corpus fparfa nutritionis materies ab ultimis eorumdem extremitatibus in Telam cellularem diffundatur, certoque ordine ibi deponatur. Si verò hæc omnia inordinatè fiant, jam tunc imperfecta remanet nutritio, fuccique recens adducti, deficiente affimilatione, præternaturalem characterem fufcipiunt. Mox aderit Telæ cellularis infarctus, ipfiufque tonus deficiet. Tum nervi per ipfam decurrentes, in eâque inlcufa vifcera torpebunt. Nec mora : magis ac magis malum ferpere, functiones vitiari, humores peffumdari, qualitatesque nocivas induere non nifi longo temporis intervallo delebiles. Succus ille effufus, nec jam ullius affimilationis capax, propria quoque vitia debet acquirere, & pro variis partibus modo Rheumatifmi tormenta æmulari, modo podagricos dolores intentare ; tubercula etiam in pulmonibus, fcirrhofque in glandulis producere aptus evadit. Ofcillationes vaforum quibus conftant vifcera languescent, five debilitentur vafa, five indurationem quamdam contrahant. Inde perit quidquid omne à viribus Naturæ expectandum foret ; neque fpem aliquam falutis concipere eft, nifi tandem ars fuccurrere difcat.

9. Itaque folvenda funt vincula quibus conftringuntur vires æconomiæ humanæ, ejufque mechanifmus obruitur. Extrahe materiem morbi : en fanus evadet quem modò ægrum videris. Fonticulos igitur aperias. Tùm irritatione infuetâ nova Textûs cellularis exagitatio, novæque illius fuccuffiones : tùm materies impacta è fuis carceribus educi : cùmque certis œconomiæ corporis humani legibus eò appellant fluida ubi major eft irritatio, jam illos humores effluere videas, & quâ data porta ruere. Nifi forfan tale irritamentum adhi-

bueris, unde nascantur spasmus & contractio quæ humores potiùs in corporis profundum retundant. Sed neque non illa adhibeas remedia quæ possint eosdem incidere, diluere, fluxiliores reddere, quæque agunt internè impellendo, dùm fonticulus vi propriâ attrahit, & quasi resistentiam minuit.

10. Quænam sint verò cautiones quas in instituendo fonticulorum usu negligere non expediat, eruere haud difficillimum.

11. Jam ab omni parte & quoquoversùs penetrabilem vidimus esse Textum cellularem. Neque attamen inde concludas omnia loca corporis æque apta fieri fonticulis aperiendis. Præponenda sunt illa quibus aderit hujus telæ musculis suppositæ pars profundior, neque reperiuntur vasa majora, nervi, tendines, quæ loca tandem sunt quasi oscula variarum Textûs cellularis divisionum, & juxta celeberrimum DE BORDEU tanquam magnorum saccorum aperturæ haberi debent. Nempe, verbi gratiâ, totius pectoris Textus cellularis, juxta magnos vasorum ramos ad brachia processus quosdam cellulares ire facit: & re verâ multiplici constat experientiâ, quòd in curandis pluribus hujusce cavitatis morbis chronicis magnâ polleant virtute fontituli quos hùc loci applicari jubent Asclepiadæi, & vix expectandum levamen attulerint.

12. Quin & tantam videntur suctionem producere fonticuli ad brachia positi, ut melioris notæ Medicinam facientes illos pro totius corporis ægritudinibus, quæ tale auxilium requirunt, usurpare non dubitaverint, &, his mediantibus, pertinacia ventris inferioris, crurum, ac pedum mala curari observaverint. Et tam frequens observata fuit humorum via è pectoris regione in abdominis cavitatem & vice versa, integrâ remanente Telâ cellulari, ut illa inter hasce corporis partes separatio quam instituere aggreditur celeber. DE BORDEU, multis non sat bene firmata comprobataque videatur, neque etiam in praxi tam magni momenti esse debeat.

13. Hos fonticulos aperiri jubemus neque scalpello, neque ferro ignito, neque etiam his causticis quæ ex salino-metallicis præparationibus desumuntur. Tantùmmodo incidit scalpellum, & tum corpora, quæ apertum vulnus servandi causâ adhiberi solent, partes distrahunt, non sine continuo dolore, atque indesinenter imminenti plagæ inflictæ coadunationis periculo. Ferrum ignitum ab omnibus ferè ægris rejicitur; displicet etiam Medicis hâc nempè ratione, quòd illius vim non possint tam facili cum negotio regere atque compescere. Idem sit judicium de causticis è metallorum penu desumptis.

14. Sçalpello quoque abstinendum ducimus, quòd illius ope non nisi angustum vulnus conciliari possit, neque ideò satis amplum detur spatium humoribus quos è corpore egredi mens est.

15. Itaque instituatur fonticulus in ipso Telæ cellularis sinu, supra musculos, (non immediate tamen) nec in horum intestitio tantum; sit locus plusve minusve patens, adeo ut non unum sed plura pisa fovere possit. Hunc verò ad efformandum, lapide caustico probè confecto utendum ducimus. Omnes autem sciunt Chemistæ, quòd nihil aliud sit, nisi sal alkali fixum ope calcis aëre fixo orbatum, omniq. humiditate spoliatum, cum priùs exsiccatum fusumque fuerit. Hujus lapidis moles adhibenda varia fit pro variis subjectis, & Telæ cellularis profunditate majori vel minori. Idem sit judicium de tempore perficiendæ Escharæ idoneo. Illud verò summam requirit diligentiam, ne lædantur scilicet

musculorum subjectorum aponevroses. Inde etenim infinita mala sequerentur: febres, convulsiones, & alia hujuscemodi.

16. Sæpissimè pisa sufficiunt levi alendæ suppurationi. Aliquandò tamen requiritur unguentum quodlibet è suppurativis dictis, cui etiam inspergi poterit certa quantitas pulveris Cantharidum.

17. Hac arte quosdam summâ macie confectos ac quasi διαφανεις pristinæ sanitati restitutos fuisse ac etiam torositatem & obesitatem recuperasse contigit. Alii sputo sanguinis liberati sunt. Quos huc usque vexaverat Rheumaticus dolor, eosdem ille dimisit. Plurimi quoque è morbis cutaneis huic remedio cesserunt.

DOMINI DOCTORES DISCIPLINÆ MAGISTRI.

M. Guillelmus-Josephus DE L'EPINE, Antiquior Scholarum Magister, Antiquus Facultatis Decanus, Academiæ Censor.

M. Ludovicus-Joannes-Beptista COSNIER.

M. Josephus COTTON.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius-Chaumont SABATIER, Regis Exercituum in Insulâ Corsicâ Medicus.

M. Joannes Feancifcus-Achilles DE LALOUETTE.

M. Franciscus THIERY, Eques, Regis è salubri Consilio, Regii Medicorum Collegii Nanceii Socius honorarius, Regiæque ejusdem civitatis Scientiarum & humaniorum Litterarum Litterarum Academiæ, necnon Biterrensis.

M. Ludovicus DESBOIS DE ROCHEFORT, Eques, Censor Regius.

M. Joannes MAC-MAHON, Antiquus Exercituum Regis & Nosocomiorum Militarium Medicus, Regiæ Scholæ Militaris Medicus ordinarius.

M. Anna-Claudius DORIGNY.

Proponebat Parisiis PAULUS-AUGUSTINUS-OLIVARIUS MAHON DE HOUSSAY, Carnutæus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Dissertationis Auctor. A. R. S. H. 1779.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1779.